

annos, ac tempora quantum diligentia consequi poterō, deligam, ac fideliter referam.

(1) Quæ auctor noster ex Gotofredo recitat de Frederici in Alexandri PP. seguaces crudelitate, confirmantur ex teste oculato eorum temporum, relato apud Bollandum Acta Sanctorum Tom. I. maii pag. 482. Sic autem Walterus Canonicus Aurasensis, qui scripsit historiam translationis Sanctæ Monicæ, atque a Fulberto Abbate missus fuerat, ad Alexandrum PP. scripto reliquit. Omnes qui ad Alexandrum pergerent, ubicumque in imperio suo reperirentur, capi, teneri, rebus omnibus expoliari, & suppliciis exquisitis affligi præciperet Transcensis alpibus a dextra parte ad maritima iter defleximus propter Imperatorem, & ejus satellites, qui ubique dispersi erant, venimus Januam.

MCLXXIV. mense martio, vicini populi novæ urbis magnitudine, & amplitudine permoti, cupientesque, atque ambientes illius patrocinium, & amicitiam uti haberent, quo flante, & reflante fortuna veluti in tutissimum portum se recipere possent, multi & in primis, qui Castellatum habitabant, liberam, & amplam donationem fecerunt Cæsariensibus Vici Castellati cum castro, & pertinentiis, legatis vero ad id destinatis Bernardo Agatio, Manfredo Stulto, Oberto Babilonia, & Henrico Alardo. (1)

(1) Refertur a Ghilino, & Schiavina ann. MS. ad ann. MCLXIX., quemadmodum est in documento a me edito par. I. n. 53. col. 68. ceterum legatorum nomina emendatiora hic sunt, quam apud Schiavinam, ex quo illud desumsi.

MCLXXV. Sunt qui velint, ut Bugato placuit (1), hoc anno Episcopum incolis novæ urbis, nomine Adoardum ab Alexandro Pontifice III., qui ejus Diaconus erat, primum datum fuisse; hoc addito, ut Episcopi cruce, & pallio uterentur, non secus ac si Archiepiscopi essent; & civitatem ex Cæsarea Alexandriam de ejus nomine appellatam, ut in Alexandrinos gratum se se ostenderet; multis deinde additis diplomatibus Pontificiis, summa cum Alexandrinorum virorum commemoratione, tum etiam, ut Alexandrinorum fortitudinem literarum monumentis commendaret sempiternis.

(1) Ita quoque sensit Schiavina ad h. a.

MCLXXIX. Die s. Martini consules Alexandriæ Ugo Urtica, & Conradus Grillus Frixonariam receperunt in tutelam, ita ut salvum esset jus Abbati s. Salvatoris Papiæ; quippe salvo dicto jure præsto semper erunt Alexandrinis. (1)

(1) Extat ap. Schiav. ad h. a.

MCLXXX. Die 23. novembris inita fuit concordia per D. D. Petrum Canefrum, Rubaldum Vifalium, Anselmum Cuppam, Ruffinum de Foro, Vermum Pellatum, & Rubaldum Saccum consules civitatis Alexandriæ cum Marchionibus Boschi Anselmo, Delfino, & Arduino q. D. Vermi, ita ut Marchionibus prædia braidorum sine fraude restituerentur, & ut Marchiones ipsi in beneficium darent Reipublicæ Alexandrinæ castrum, & villam Ponzani, & Maranzanæ. Eodem anno facta fuit confirmatio quorundam prædiorum ab Alexandro III. Pontifice Maximo, de qua supra mentionem

habuimus, dum de oppido Kori verba faceremus. (1)

(1) Extant ambo p. I. doc. 60. & 61. col. 77.

MCLXXXI. Sexto calendas martii cum Genueses diversis bellis impliciti essent, & pene attriti fœdus inierunt cum republica Alexandrina, quam maximo adjumento esse ob vicinitatem, & rei militaris peritiam, & recentem gloriam cernebant; quare Januenses per legatos suos promiserunt, Abbati Flucono Burgoliensi, Magistro Ugonno, Canefro Præposito Alexandriæ, quod ab illo die, & per viginti novem annos inde secuturos rempublicam Alexandrinam adjuvabunt, quoque cis Appenninum jugum suis propriis expensis, ac opibus ducentos Arciferos, tres magistros lignaminis, unum Ingenerium, Balistarios decem belli tempore reipublicæ Alexandrinæ suppeditabunt; & contra Alexandrini Januensibus quinquaginta milites, ducentum pedites, ultra jugum Appennini sua impensa libenter, ac fideliter præbebunt. (1)

(1) Extat apud Schiavinam ad h. a.

MCLXXXII. Gullielmus Mutius de Ferro Januensis Alexandrinorum auxilio adjutus Silvanum castrum, & arte, & natura munitum obsedit, expugnatque.

MCLXXXIII. Die decimo julii Capriatæ oppidum post diurnam obsidionem, & bella, tandem fœdus tum populo Alexandrino percussit Petro Canefro, Calderia Bonello, Anselmo Cuppa, Boffio Buttino, Ottone Durco, Mancino Picio, Arnaldo Vena, Joanni Vasco, Ruffino Scachavello, Manfredo Cutino, Cocagna Oglerio, Oglerio Cagna, Rainerio Nano, ac quodam Reufalio Consulibus (1). Eodem anno cum Henricus Federici filius Italici Regni coronam vehementer affectaret, videretque illam minime consequi posse Italicis cum Patre discordibus, ac dissentientibus, patrem impulit, ut legatos in Italiam mitteret cum liberis, & amplis mandatis, ut si quæ civitates essent pacis studiosæ, vellentque concorditer cum Federico vivere arbitrio suo facultatem universis fore sponderent. Itaque Alexandrini miserunt Legatos ad Marchionem Henricum Guercium, fratrem Theodoricum, & Rudolphum Camerarium Plenipotentiariorum Cæsareos in Italia cum libera potestate, ut quidquid ipsi statuissent, se se illud perpetuo factum rectum habituros; quo factum est, ut omnes societatis Lombardiæ urbes, Marchionæ, Veronæ, & Venetiarum pacem peterent ab ipso in hunc modum. Si Federicus pacem habuerit cum Ecclesia Romana, nos omnes civitates Lombardiæ Mediolanum, Cremona, Laus Pompea, Bergamum, Ferraria, Brixia, Mantua, Verona, Vicentia, Patavium, Tarvisium, Venetia, Bononia, Ariminum, Mutina, Regium, Parma, Placentia, Bobbium, Derthona, Alexandria, Vercellæ, Novaria, Opizo Marchio Malaspina, Comes de Brenone, & Castellani quicumque, & homines, qui cum Sede Apostolica sentiunt, & nos pacem habebimus cum Federico Imperatore, atque omnia, quæ antecessores nostri a morte Henrici postremi Imperatoris antecessoribus suis ulla absque molestia fecerunt, & nos Federico, successoribusque ejus sine fraude fa-